



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.**

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè explicantur.

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1647**

De Origine Officij Diuini. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9521**

2 *Hora* dicta sunt, vel ab orando: nam hora idem videtur esse, ac, ora, cum aspiratione, Deum, vel melius: quia definitis horis ex instituto Ecclesie recitantur. *Azor. par. 1. lib. 10. cap. 1. quæst. 1.*

3 *Canonice* appellantur, id est Regulares, quia iuxta regulam Ecclesiasticam. Alij dixerunt, quia Canonorum Choro addictorum sunt preces. *Azor. vbi supra.* Alij, quia Canonicum, & Ecclesiasticum sunt idem, quod probat *Steph. Durand. lib. 3. de ritibus cap. 1.*

4 *Hora Canonice* dicta sunt aliquando, *Cursus*, vt in vita S. Germani Episcopi, Parisiensis scribit Fortunatus. Picta-uorum Episcopus c. 64. & 79. apud Sur. Tom. 3.

## De origine Officij diuini.

## Cap. II.

1 **A**postoli ab Hebræis acceperunt horas orandi, & hora Tertia erant orantes in Pentecoste. *Act. 2.* hora Sexta Petrus orabat. *Act. 10.* ad Horam Nonam ascenderunt in Templum Petrus, & Ioannes. *Act. 3.* Media nocte orabant Paulus, & Silas. *Act. 16.* quare easdem horas præscribere fidelibus ex *Clement. lib. 8. constit. cap. 40.* Non ergo Pelagius I. vt ait *Maurolicus in Martyrolog. 27. Augusti,* neque Pelagius II. vt voluit *Polidor. Virgil. lib. 6. de inuent. rerum cap. 2.* Neque Damasus, ex *Pontificali c. 39. in eius vita,* dicendi sunt auctores, sed ij, vel formulas officij Decretis firmauerunt, vel ritus amplificaerunt.

2 Certe Gelasius I. & duo Gregorij I. & VII. formulæ officij, qua nunc vtimur, dicuntur Constitutores, & Reformatores à Pio V. in *Bulla sua initio Breuarij edita,* & non alij.

3 Præterea certum est, nõ eodem tempore Horas omnes institutas fuisse. Nam Primam, & Completorium, vltimò fuisse additas docet *Radulphus Tungrensis prop. 14.* & nos dicemus, cum de singulis Horis agemus, *Sectione quarta.*

## De partibus diuini Officij, &amp; Horarum numero. Cap. III.

1 **S**eptem hora sunt, & octo, de quibus fortè mandatum accipis, vt des illi partem. *Ecl. 11.* communior est opinio, septem esse, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium. ita in *Concil. Cabilon. 2. can. 59.* iuxta illud *Psal. 118.* Septies in die laudem dixi tibi. *fuse Azor. cap. 1. quæst. 2.*

2 Qui volunt esse octo, diuidunt Laudes à Matutino, & deducunt ab *Esdra. lib. 2. cap. 9.* Qui quater in nocte, & quater in die iussit laudari Deum. lege *Nauarr. de orat. cap. 3.*

3 Romæ nullum fuit interstitium inter Matutinum, & Laudes, vt testatur *Amar. in prolog. de ord. Antiphonarij.*

4 Ordo Horarum patet ex *cit. Concil. Cabil.* quamuis *Rabanus lib. 2. de instit. cler. cap. 3.* easdem numeret incipiens à Laudibus, quas vocat Matutinas preces, & eas terminet in nocturnas Vigilias; sed hæc certè, hoc ordine posito, spectarent potius ad sequentem, quam ad precedentem diem.

5 Non caret mysterijs hic numerus Horarum septenarius: & primò respectu creationis, vt agamus Deo gratias pro rebus creatis in septem diebus, ita *Cassianus de instit. Mon. lib. 3. cap. 3.* Secundò, Redemptionis nostræ mysteria his horis operata fuisse; nam media nocte natus est Christus, & resurrexit. Hora prima ductus ad Pilatum. Tertia lingua Iudæorum in Crucem actus, flagellis cæsus, spinis coronatus. Sexta verè Cruci affixus. Nona expirauit, & ad inferos descendit. Vespertina de Cruce depositus est; eadem hora cœnauit, pedes lauit, Eucharistiam consecit. Hora Completorij orauit in hortu. Tertiò respectu nostri, Speties in die cadit iustus. *Prouerb. 24.* & nos septies orando resurgimus. Quartò, numerus vniuersitatis est septenarius, ex *S. Greg. Papa,* & in multis à Sanctis Patribus commendatur. Quintò, Septem assumit Demon nequiores